



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs IV. Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu
exequutionis suæ voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

SECUNDA CONCLVS. Potestati anime Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona, subdebatur totaliter omnis dispositio proprii corporis. Huius probatio supponitur ex dictis in articulo precedenti.

TERTIA CONCL. Hæc omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam anime Christi. Probatur: quia virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti.

Expositio Textus.

CIRCA primam conclusi. videnda sunt, quæ diximus de vi imaginationis, & de magia Caba-
la in controu. de magia, 1. p. q. 114. art. 4. post Ioan. Medinam lib. 2. de reeta in Deum fide cap. 7. Vide etiam dubitationem hic propositam & solutam à Med. circa veritatem eiusdem conclusionis.

Scito præterea Christi humanitatem, & eius potentias naturalis perfectionis omnem habuisse plenitudinem; ac propterea quidquid perfectionis quod ad corporis temperamentum, aut animæ vires tam superiores quam inferiores fuit alicui hominum à Deo concessum, totum excellentius humanitati Christi, & eius potentiis fuisse collatum. Ex quo deducunt aliqui recentiores, quod sicut legitur aliquos propter optimum sui corporis temperamentum nullam ab igne læsionem accepisse, & aliorum dolores suo tactu mitigasse, hæc eadem esse Christi corporis temperamento tribuenda, si hæc ad naturalem attinent perfectionem humanitatis: quod etiam asserunt de perfectione oculorum, quam refert Suetonius de Tiberio Cæsare, dicens ex eius oculis nocturno tempore tantum splendoris emicuisse, vt nullo alio adhibito luminari videret omnia; sicut etiam de Cæsare Augusto narrat, oculos suos in alterius oculos defixos eorum aciem, instar lucis Solaris hebetasse. Sed hæc præterquam quod derogare videntur ex parte operibus Christi mirabilibus, quæ frequenter edidit in testimonium suæ diuinitatis & doctrinæ; hæc duo posteriora, quæ de viroque Cæsare referuntur, magis ad inæqualitatem temperamenti prædominij igneæ virtutis habent videntur esse reducenda, quam ad corporis naturæ perfectionem: quemadmodum etiam ex defectu virtutis motiua à rectitudine regulæ naturalis exorbitantis videtur accidisse quibusdam ab Augustino relatis, vt pro libito mouere possent capillos & aures, eos erigendo vel deprimendo; atque ideo non sunt hæc facile humanitati Christi tribuenda.

SECUNDA conclusi. illustrant tria Christi facta, additis Sanctorum patrum expositionibus. Primum est apud Lucam 4. cap. vbi dicitur: Iesus autem transiens per medium illorum ibat. Quæ verba expONENTES Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 22. & Origenes Homelia 35. in Matth. affirmant Christum, tunc factum fuisse inuisibilem. Secundum est apud Ioan. 18. vbi militibus Christum in hortu comprehendere volentibus, post singulas suas interrogationes & eorum responsiones subiunxit: Ego sum: quod ideo dictum fuisse patres affirmant: quia Christus diuina virtute faciem mutauerat, vt non cognosceretur ab illis, aut quia percussit eos cæcitate, vel eorum oculos impediuit, ita Cyrill. lib. 11. in Ioan. cap. 33. Chrysost. Hom. 82. in Ioan. & Theoph. Ioan. 18. Ad eandem etiam Christi virtutem pertinet, quod, respondente Domino Ego sum, milites in terram ceciderint. Tertium est ieiunium quadraginta dierum: in cuius tantum termino esuriem sensit: quo facto indicari potentiam animæ instrumentalem in ordine ad proprium corpus docent Cyrillus in 2. de fide ad Romanos, & Chrysost. sermon. 11. & alij Naz. in D. Thom. 3. partem.

plures. Quædam alia insignia Christi facta miraculosa circa proprium corpus expendit Medina super hoc articulo.

ARTICVLVS IV.

Verum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis sue voluntatis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis. Dicitur enim Marci 7. quod ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propositum sue voluntatis.

Præterea: Preceptum est signum voluntatis: vt in prima parte dictum est. Sed Dominus quadam facienda precepit, quorum contraria acciderunt: dicitur enim Matth. 9. quod cæci illuminati, comminatus est Iesus dicens: Videte ne quis sciatur illi autem exeuntes, dissipauerunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propositum sue voluntatis.

Præterea: Id, quod potest aliquis facere, nõ petit ab alio. Sed Dominus petiuit à Patre, orando illud, quod fieri volebat: dicitur enim Luc. 6. quod exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propositum sue voluntatis.

Sed contra est, quod dicit Augustinus in libro de Quæstio- nibus veteris, & noui Testamenti: Impossibile est, vt Saluatoris voluntas non impleatur: nec potest velle, quod scit fieri non debere.

Respondendo dicendum, quod anima Christi dupliciter aliquid voluit. Vno modo quasi per se implendum. Et sic dicendum est, quod quidquid voluit, petiuit: non enim conueniret sapientia eius, vt aliquid veller per se facere, quod sua virtuti non subiceret. Alio modo voluit aliquid, vt implendum virtute diuina: sicut resurrectionem proprii corporis, & alia huiusmodi miraculosa opera. Quæ quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum diuinitatis: vt dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus, dicit in lib. de Quæstionibus veteris, & noui Testamenti. Quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus. Ad id respondendum est, quod illud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat: vltro tamen venientes ad fidem, non suscipere inuidia erat. A suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit: Et ita factum est. Vel potest dici, quod hæc voluntas Christi non fuit de eo, quod per se fieriendum erat, sed de eo, quod erat fieriendum per alios: quod non subiacebat humane voluntati ipsius. Vnde in Epistola Agathonis papa, quæ est recepta in sexta Synodo, legitur, Ergone ille omnium Conductor ac Redemptor, in terris latere volens, non potuit, nisi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur?

Ad secundum dicendum, quod sicut Gregorius dicit 10. Mor. per hoc, quod Dominus precepit tacere virtutes suas, seruis suis se sequentibus exemplum dedit, vt si quidem virtutes suas occultari desideraret: & tamen, vt aliorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. Sic ergo preceptum illud designabat voluntatem ipsius, quæ humanam gloriam resagebat: secundum illud Ioan. 8. Ego gloriam meam non quero. Volebat tamen absolute, præsertim secundum diuinam voluntatem, vt publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Christus orabat, & pro his, quæ virtute diuina fieri erant, & pro his etiam, quæ humana voluntate erat factururus, quia virtus, & operatio anime Christi dependebant à Deo: qui operatur in nobis velle, & perficere: vt dicitur Philip. 2.

Sensus Questii.

QUÆSTIO est de efficacia voluntatis, quatenus est executiua eius quod vult: ut enim hic obseruat Caiet. Ille dicitur omnipotens respectu executionis propriæ voluntatis, qui facultatem habet exequendi quicquid vult exequi, ita ut eius executiua potentia voluntatem executionis adæquet.

Forma Textus.

PROPOSITA vna distinctione bimembri, respondetur quæsitio duabus conclusionibus. Distinctio est. Anima Christi dupliciter aliquid voluit: vno modo, quasi per se implendum: Alio modo, ut implendum virtute diuina.

PRIMA CONCL. est: *Anima Christi, quicquid voluit, quasi per se implendum, potuit.* Probat: quia non conueniret sapientiæ eius, ut aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subiaceret.

SECUNDA CONCLVS. *Anima Christi, quicquid voluit, ut implendum virtute diuina, potuit, non quidem propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum diuinitatis.* Manifestatur ex effectu resurrectionis proprii corporis, & alijs similibus operibus miraculosis.

Expositio Textus.

PROLITTERÆ huius intelligentia duo hic sunt breuiter explicanda. Primum est sensus distinctionis. Nam Caiet & post eum Vasq. ait particulam illam *per se ipsum* idem significare, quod per propriam virtutem naturalem, vel gratuitam à Deo infusam, & humanitati Christi inhaerentem, & ita effectui accommodatam, ut effectus eius ratio & principium formale seu effectiuum quo & veluti propria causa. Cuius rationem affert Caiet, quia S. D. distinguit hoc membrum contra ea, quæ poterat Christus ut instrumentum diuinæ virtutis. Addit autem Vasquez, sub dicta particula comprehendit etiam illud omne, quod non est pendens ex aliorum voluntate, nec per alios faciendum: sed Cai. circa respons. ad 1. ait, sub neutro distinctionis membro comprehendendi, quæ Christus voluit per alios homines fieri. Melius tamen dici posset, sub primo membro comprehendendi omnia prædicta negatiue, ut ait Vasquez, sub secundo vero eadem comprehendendi affirmatiue sumpta: quoniam anima Christi, ut instrumentum diuinitatis, potuit exequi voluntatem suam, etiam quo ad ea, quæ libere per alios erant facienda: potest enim Deus uti instrumento creato, præsertim spiritali, ad quemcunque effectum corporeum aut spirituale; atque ita potuit uti actu voluntatis, aut imperij animæ Christi ad causandam efficaciter physice conuersionem peccatoris, ambulationem, scripturam aut locutionem, &c. cum eorum causa entia quædam sint, ad quæ per actus animæ Christi deferri potest diuinum imperium. Et hac expositione saluatur sufficientia distinctionis in textu præsentis.

Obiectio.

Secundum est sensus primæ conclusionis: cui obijci posset, Christi potentiam executiuam impediri potuisse, ne volita exqueretur. Considerata namque virtute solius humanitatis, potuisset Christus in carcere detineri, aut manus & pedes ligari; atque ita impediri, ne quod vellet, exqueretur: Nec sola propria sua virtute potuisset humanitas, siue Christus ut homo, hæc impedimenta remouere; quamuis hæc posset, ut instrumentum diuinitatis: igitur videtur esse falsa conclusio dicens animam Christi potentiam habuisse quo ad ea omnia, quæ voluit quasi per se ipsam implenda. Sed

A facile soluitur negando consequentiam: ut enim hæc potentia sit in anima Christi, non est necesse ut propria virtute auferre potuerit impedimenta, sed satis est animam Christi, nihil ut per ipsam implendam voluisse, quædo esset impedita eius potentia executiua, nisi prius à Deo, vel etiam ab ipsa anima, ut instrumento Dei fuisset ablata impedimenta. Vnde quando fuit comprehensus & ligatus & crucifixus à militibus; non habuit voluntatem ea per se ipsum faciendi, quæ duranti- bus illis impedimentis facere minime potuisset: noluit enim fugere, aut de cruce descendere, & se ipsum à manibus persequentium eripere. Potentiam itaque tunc etiam habuit ambulandi, descendendi, &c. & hæc omnia propria virtute exequendi, sublati tamen prius diuina virtute impedimentis.

Controuerfia Vnica.

An anima Christi habuerit omnipotentiam respectu eorum, quæ voluit ut adimplenda per alios?

PRIMA sententia est Suar. qui disp. 38. sect. 5. tria dicit. Primum est: quæcunque Christus Dominus sua humana voluntate absolute & efficaciter voluit, siue ea vellet ut implenda per se ipsum, siue ut fienda per alios, semper fuerunt impleta. Secundum est: Voluntas seu desiderium inefficax Christi non semper impletum fuit. Tertium est: dictum illud Marci 7. *Ingressus domum neminem voluit sive, & non potuit latere.* intelligendum esse de voluntate aliquo modo efficaci, scilicet quætu erat ex potestate & viribus naturalibus humanitatis: quia potuit Christus per voluntatem humanam, quætu in se erat, desiderare, ut aliquid fieret, & omnia media in sua potestate naturali adhibere, ut id consequeretur, & nihilominus id non fieri: quia vires huius voluntatis ad id non sufficiebāt.

Secunda sententia est Caietani dicentis nullum esse inconueniens, Christum humana voluntate vere voluisse aliquid per alios operandum, vel non operandum, cuius oppositum factum est. Quam sententiam tuctur Vasquez disp. 58. & alij quidam recentiores.

Tertia sententia est Medina dicentis secundam sententiam esse probabilem, sed primam esse probabiliorem.

SUPPONENDA sunt hic ea, quæ late diximus i. p. q. 19. de voluntate antecedente, & consequente, & de voluntate absoluta & conditionata, & de voluntate efficaci & inefficaci. Quibus suppositis

Resolutio. Quæ proprie sit voluntas impotens, quæ modo dicitur voluntas efficiax, & quæ possint efficiaci voluntate prudenter appeti.

Sciendum est primo differentiam esse inter Dei voluntatem & humanam omnem voluntatem, comprehendendo etiam voluntatem assumptæ à Christo naturæ, quod diuina voluntas illud omne quod vult etiam antecederet potest efficere sua infinita virtute, sed humana voluntas etiam Christi, per executiuam suam potentiam non potest illud omne perficere vel assequi, quod vult antecedenti volitione. Conueniunt tamen in hoc, quod, sicut diuina voluntas non dicitur impotens, quia non producat per actum voluntatis antecedentis ut sic, id quod sicut diuina vult tali volitione, eo quod possit illud producere per actum voluntatis consequentis, qui est volitio efficiax, quæ potest Deus habere; ita voluntas humana, & præsertim Christi volens aliquid antecederet, non hac præcisa ratione dicitur impotens, quia non possit illud per talem volitionem producere, si per alium actum, qui sit absolutus & efficiax possit illud producere.

Secunda.

Secundo notandum est voluntatem dici posse dupliciter efficacem: Uno modo, quia simpliciter, & absolute potest aliquid efficere: & hoc pacto voluntas dicitur efficax respectu eorum, quæ simpliciter vult; & hæc sic volita potest efficere per eundem actum, aut per actum executivæ potentia, vel absolute ut divina voluntas, vel ablatis impedimentis, ut humana voluntas. Alio modo dicitur voluntas efficax, non quia absolute efficere possit id, quod simpliciter vult, sed cum limitatione, videlicet, quantum sit ex facultate & viribus propriis: quia nimirum potest quantum in se est, desiderare ut aliquid fiat & applicare omnia media, quæ sunt in eius propria potestate, ut illud fiat: sic enim dicitur quodammodo efficaciter velle, quatenus actu intentionis sic fertur in illud, ut ex eius affectu moveatur ad eligenda & adhibenda media omnia suæ virtuti possibilia, & intentio fini consequendo proportionata: per hoc enim satis distinguitur ab inefficaci voluntate, quæ non movet ad electionem & applicationem mediorum possibilem. Ex quo sequitur, tam Deum quam hominem posse velle efficaciter actum & effectum liberæ voluntatis alterius hominis; sed differenter. Nam, quia Deus potest influxu physico potenter, & infallibiliter (quaviter tamen) moveat creatam omnem voluntatem ad quodvis bonum appetendum & agendum, ideo per actum suæ voluntatis prædeterminantis aliquid futurum ex libera voluntate creata dicitur efficaciter illud velle, non quodammodo, sed simpliciter & absolute: cuius oppositum docet Vasq. in allegata disp. 58. ca. 2. sed eius fundamentum esse falsum ostendimus 1. p. q. 22. art. 4. contr. 1. & 2. Homo autem non potest simpliciter dici velle efficaciter aliquid, quod ex alterius pendeat voluntate: quia movere non potest infallibiliter & potenter alterius voluntatem ad aliquid volendum aut agendum, sed dicitur quodammodo, s. quantum sit ex se, efficaciter tale aliquid velle; quoniam ad inclinandam alterius voluntatem, ut illud velit, operatur, eligit & adhibet omnia media suæ virtuti possibilia, licet ea singula aut omnia simul sumpta non sufficiant ad voluntatem cuiusvis hominis efficaciter inclinandam.

Tertio observandum est efficaci voluntate prudenter appeti posse, non solum ea, quæ certo scimus aut probabiliter opinamur esse futura; sed etiam ea, quæ certo scimus non posse esse futura. Ad cuius evidentiam recolendum est id, quod probavimus in 1. p. q. 14. art. 13. contr. 6. videlicet necessitatem suppositionis, præscientiæ Dei non tollere libertatem aut contingentiam actus vel effectus futuri; igitur eadem, immo potiori ratione, non poterunt hæc tolli ex suppositione præscientiæ, quæ sit à Deo creaturæ communicata; ac proinde effectus liberæ voluntatis, qui prævidetur non esse futurus, erit simpliciter & absolute possibilis; cum in ordine ad propriam causam, quæ est creata & divina voluntas, esse possit, & consequenter velle efficaciter tale possibile futurum, & ad illud ut fiat siue eueniat, totis viribus eniti & media ad illud assequendum opportuna pro posse dirigere prudentia est, non autem stultitia, ut asserunt oppositæ sententiæ defensores. Petro namque revelavit Christus futurum negationis peccatum; qui tamen ex fidei firmitate statim voluntatis actum efficacem summis laudibus effectendum ostendens ait: *Et si oportuerit memori tecum, non te negabo.* Differunt namque impossibile ex suppositione præteriti, & impossibile ex suppositione futuri, quod illud non subest amplius humanæ libertati; hoc autem manet adhuc sub potestate.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

A testate nostræ voluntatis; alioquin nulla prorsus esset creatæ libertas voluntatis: quia omnes, & singuli eius actus, & effectus sunt à Deo prævisi: consequens autem est hæresis manifesta: ergo antecedens, ex quo sequitur, non est asserendum.

Quarto notandum est ex D. Thom. 1. 2. q. 19. artic. 1. ut. Voluntatem omnem creatam, ut bona sit, debere confirmari divinæ in volito formaliter, non tamen oportere voluntatem viatoris conformari divinæ in volito materialiter, ut ibi declarat S. Thom. Sed voluntatem comprehensoris, siue beati necesse est, ut sit divinæ voluntati conformis in volito, tam materialiter quam formaliter: & quia Christus erat simul viator & comprehensor, & per scientiam etiam inditam cognoscebat universa futura, non solum singularia substantia, sed etiam cogitanda, dicenda & fienda per liberas hominum voluntates, ideo voluntas eius humana conformis erat divinæ, non solum quo ad volita formaliter, sed etiam quo ad volita materialiter: cuius oppositum hic absq; legitimo fundamento docet Vasquez. Specialiter autem quo ad ea, quæ futura non erant, conformabatur voluntas humana Christi cum divinæ; Quoniam huius & illius voluntatis actus, non sub oppositis sed magis sub eisdem rationibus in obiecta ferebantur. Nam exempli gratia, volebat Deus ut Christus quantum in se erat sui occultationem in civitate Sydoniorum intenderet efficaciter, & ad eam assequendam media dirigeret pro posse sufficientia, ut nobis fugienda occultationis præberet exemplum; sed præterea voluit Christum propter salutem nonnullorum ex illo populo manifestari: Vtrumque etiam humana sua voluntate Christus appetit: Nam per actum intentionis occultationem appetens, omnia ad eam assequendam media destinavit, quæ secundum humanam prudentiam poterant adhiberi; Per actum vero complacentiæ voluit sui manifestationem propter aliorum salutem. Neque tamen ex hac voluntatis humanæ Christi conformitate cum divinæ potest inferri, illā esse omnipotentem ad exequendum omnia, quæ vult per alios impleri: Nā beatorum voluntates eandem habent cum divinæ voluntate conformitatem; nec tamen ideo sunt omnipotentes ad ea, quæ volunt, exequenda. Videndum est Ansel. in lib. de similitudinib. cap. 52.

Ex his patet primo: Christi voluntatem humanā, qualatere voluit, non fuisse voluntatem inefficacem, ut asserit Medina: dicit enim divina scriptura, quod Christus ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere. Si autem voluntas illa fuisset inefficax, inepte diceretur eum non potuisse latere: eum enim voluntas inefficax non applicet omnia media ad id, quod appetit assequendum, haud congrue dicitur id efficere, vel assequi non posse, quod intendit; id enim solum vere ac proprie dicimus efficere, vel assequi non posse, quod adhibito conatu ex mediis omnibus secundum vires & prudentiam opportunis, efficere aut assequi non valemus: hoc autem illud solū est, quod efficaciter aliquo modo volumus. Cum ergo dicit Evangelium *Neminem voluit scire, & non potuit latere*, de voluntate efficaci intelligendū est: quæ adhibitis mediis secundum rectam rationem opportunis ad sui occultationem, quæ nobis intelligenda relinquunt Evangelistæ, eam obtinere non potuit.

Secundo patet summum Pontificem Agatonem ex dicto loco recte probasse humanā inefficacem Christi voluntatem. Id enim probat ex eo, quod intentum effectum assequi non potuerit: in hoc enim manifeste differt humana voluntas à divinæ.

Tt 3 quod

Humanam Christi voluntatem fuisse divinæ conformem in volito formaliter, & materialiter, & voluntatem, qualatere voluit, fuisse voluntatem efficacem.

Vasquez id dictum rejicitur.

Medina dictum rejicitur.

quod humana voluntas efficax sæpe caret effectu A
per eam intento; quod de diuina, quæ simpliciter
omnipotens est, dici nequaquam potest; cum ta-
men ambæ conueniant, ut neutra, si sit inefficax,
congrue dici valeat non posse, quod voluit, ut
ante diximus.

Tertio patet rationem à S. D. assignatam, quare
Christus cum voluerit, latere non potuerit, opti-
mam esse: ait enim ideo Christum latere non po-
tuisse, quia voluntas hæc non fuit de eo, quod per
eum sciendum erat, sed de eo, quod erat sciendum
per alios, quod non subiacebat humanæ volun-
tati ipsius: quæ vltima verba, ut congrua sint, ne-
cessario de voluntate efficaci sunt intelligenda.
Nam ea solum ratione dicimur id posse, quod
nostræ subiacet voluntati; quia cum efficaciter B
volumus, id possumus efficere vel assequi: dicun-
tur enim aliqua subiacere nostræ voluntati qua-
tenus voluntas, adhibitis medijs sufficientibus,
potest illud agere vel assequi; constat autem talia
media per solum voluntatem efficacem adhiberi;
voluntas autem inefficax, ut sic, nec adhibet nec
adhibere potest media sufficientia ad finem asse-
quendum.

Conclusio. POSTREMO sequitur conclus. negatiua directe
respondens quaesito, videlicet: *Anima Christi non
habuit omnipotentiam, quo ad ea, quæ voluit absoluta &
efficaci voluntate, ut adimplenda per alios.*

**Argumen-
ta, & solu-
tiones.** **Obi. 1.
Solut.** CONTRA conclus. argumentatur Medina: Pri-
mo: Voluntas animæ Christi est voluntas Dei: nã
actiones sunt suppositorum; Ergo semper imple-
tur, si est efficax & absoluta. *Respond.* Nullam esse
conseq. quoniam ex supposito non deriuatur
infinita perfectio aut virtus infinita simpliciter ad
humanitatem, & eius potentias; alioquin vniõ fa-
cta fuisset, non in persona tantum, sed etiam in
natura: sed ex illo antecedente sequitur: Primo,
humanam voluntatem non fuisse diuine contra-
riam, sed illud tantum voluisse, quod Deo placuit
ipsam velle. Secundo sequitur, voluntatem hu-
manam ut instrumentum Dei, potuisse semper
impleri.

Obi. 2. Secundo: Christus Dominus euidenter videbat
voluntatem diuinam esse determinatam ad hoc
vel ad illud; ergo non poterat velle, nisi quod no-
uerat Deum velle: Probatur consequentia: Nam
hoc habent vniuersi beati. *Resp.* Iam ostensum es-
se in 3. notabili, quomodo humana Christi volun-
tas fuerit eius diuine voluntati conformis; & id-
eo admissio toto argumento, nihil sequitur con-
tra nostram conclusionem.

Obi. 3. Tercio: Voluntas efficax & absoluta semper im-
pletur in omnibus beatis; ergo & in Christo.
Solut. *Resp.* falsum esse antec. quoad eam voluntatem,
quæ dicitur efficax secundo modo, alioquin nul-
lus hominum damnaretur; certum est enim An-
gelum omnem custodem voluntate efficaci se-
cundo modo velle salutem hominis custodiri, cū
adhibeat omnia media secundum prudentiam
opportuna ad eius salutem, & tamen constat mul-
tos ex hominibus non saluari; & sancti continue
orant pro nobis, ut salutem à Deo consequamur
per eius gratiam & auxilia, quam ex nobis multi
sua culpa non obtinent: unde S. D. in 2. q. 83. art.
11. ad 2. ait: *Sancti impetrant illud, quod Deus vult fieri
per orationes eorum; & hoc petunt, quod æstimant eorum
orationibus implendum secundum Dei voluntatem.* Vbi
Caictanus ait Sanctos orantes nescire, an impe-
trabunt, sed petere æstimantes hoc esse Deo pla-
citurum, & de hoc orando consulere diuinã ma-
iellatem: Atque ideo diuersos Sanctos absque
contrarietate voluntatum diuersa petere, quasi
contraria proponentes adunati ad Dei benepla-

citum; ut patet de duobus Angelis Dan. 10. quæ
non possunt intelligi, nisi de voluntate & petiti-
one Sanctorum absoluta; alioquin incongrue di-
ceret S. D. Sanctos illud petere, quod æstimant
eorum orationibus implendum; petitiõ namque
conditionata talem æstimationem non requirit,
ut patet de petitione Christi Domini dicentis,
Pater si possibile est, &c. non enim æstimabat id me-
dia hac oratione implendum à Deo fuisse, cū op-
positum à Deo fuisse prædefinitum certo sciret,
Quadam tamen ratione dici posset, quod San-
ctorum orationes semper exaudiuntur à Deo; cu-
ius explicatio ad rem præsentem minime pertinet.

Obi. 4. CONTRA eandem concl. est auctoritas August. in
lib. de quaest. noui Testamenti, q. 77. & Greg. 19. moral.
cap. 14. dicentium Christum habuisse omnipoten-
tiam respectu executionis suæ voluntatis. *Respond.* Solut.
Hos patres loqui de Christo quo ad eius diuinã
voluntatem, vel etiam quoad humanam, quate-
nus erat instrumentum diuinitatis.

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei, in quatuor ar-
ticulos diuisa.

D Einde considerandum est de defectibus, quos Christus
in humana natura assumpsit.
Et primo de defectibus corporis, secundo de defectibus
animæ.

Circa primum quaruntur quatuor.

C Primo vtrum filius Dei assumere debuerit in humana
natura corporis defectus.

Secundo, vtrum assumpsit necessitatem his defecti-
bus subiacendi.

Tercio, vtrum hos defectus contraxerit.

Quarto, vtrum omnes huiusmodi defectus assumpsit.

Ratio ordinis.

H ACTENVS egit S. D. de perfectionibus af-
sumptæ humanitatis; nunc de defectibus ei-
usdem naturæ disputat: & primo quidem de iis
quæ ad corpus attinet, prout ab anima saltem sen-
situa distinguuntur, & ex corpore sic accepto,
veluti ex propria causa deriuantur; ut patet ex hac
tota quaestione. Deinde quaestione proxime se-
quenti de iis defectibus agit, qui ad animam
pertinent eiusdem assumptæ humanitatis. De de-
fectibus autem corporis primo tractat indefinite
seu indistincte prioribus tribus articulis; deinde
distincte de eisdem agit in vltimo articulo. De illis
indistincte sumptis agit, primo considerando eos
absolute, siue secundum se in primo articulo. Dein-
de quo ad eorum causam, vel causas phylicas in
secundo articulo. Demum quo ad causam moralem
in 3. articulo.

ARTICVLVS I.

Vtrum filius Dei in humana natura assumere debuerit
corporis defectus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod filius Dei nõ
debuerit assumere humanam naturam cum corpo-
ris defectibus. Sicut enim anima vnita est personaliter
Verbo Dei, ita & corpus. Sed anima Christi habuit omni-
modam perfectionem, & quantum ad gratiam, & quan-
tum ad scientiam: ut supra dictum est. Ergo etiam corpus
eius debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se ha-
bens defectum.

E Præterea: Anima Christi videbat Verbum Dei ea vi-
sione, qua Beati vident (ut supra dictum est) & sic anima
Christi erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur
corpus: dicit enim Augustinus in Epist. ad Dioscorum.
Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius plenif-
sima beatitudine, redunder etiam in inferiorem naturam,
quod